

EPISTOLA B. PETRI APOSTOLI PRIMA

1 Petrus Apostolus Jesu Christi, electis advenis dispersionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ, et Bithyniæ, ² secundum præscientiam Dei Patris, in sanctificationem Spiritus, in obedientiam, et aspersionem sanguinis Jesu Christi. Gratia vobis, et pax multiplicetur.

³ Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui secundum misericordiam suam magnam regeneravit nos in spem vivam, per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis, ⁴ in hæreditatem incorruptibilem, et incontaminatam, et immarcescibilem, conservatam in cælis in vobis, ⁵ qui in virtute Dei custodimini per fidem in salutem, paratam revelari in tempore novissimo. ⁶ In quo exsultabis, modicum nunc si oportet contristari in variis tentationibus : ⁷ ut probatio vestræ fidei multo pretiosior auro (quod per ignem probatur) invenitur in laudem, et gloriam, et honorem in revelatione Jesu Christi : ⁸ quem cum non videritis, diligitis : in quem nunc quoque non videntes creditis : credentes autem exsultabitis lætitia inenarrabili, et glorificata : ⁹ reportantes finem fidei vestræ, salutem animarum. ¹⁰ De qua salute exquisierunt, atque scrutati sunt prophetæ, qui de futura in vobis gratia prophetaverunt : ¹¹ scrutantes in quod vel quale tempus significaret in eis Spiritus Christi : prænuntians eas quæ in Christo sunt passiones, et posteriores glorias : ¹² quibus revelatum est quia non sibimetipsis, vobis autem ministrabant ea quæ nunc nuntiata sunt vobis per eos qui evangelizaverunt vobis, Spiritu Sancto misso de cælo, in quem desiderant angeli prospicere.

¹³ Propter quod succincti lumbos mentis vestræ, sobrii, perfecte sperate in eam, quæ offertur vobis, gratiam, in revelationem Jesu Christi : ¹⁴ quasi filii obedientiæ, non configurati prioribus ignorantiae vestræ desideriiis : ¹⁵ sed secundum eum qui vocavit vos, Sanctum : et ipsi in omni conversatione sancti sitis : ¹⁶ quoniam scriptum est : Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum. ¹⁷ Et si patrem invocatis eum, qui sine acceptione personarum judicat secundum uniuscujusque opus, in timore incolatus vestri tempore conversamini. ¹⁸ Scientes quod non corruptibilibus, auro vel argento, redempti estis de vana vestra conversatione paternæ traditionis : ¹⁹ sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi, et incontaminati : ²⁰ præcogniti quidem ante mundi constitutionem, manifestati autem novissimis temporibus propter vos, ²¹ qui per ipsum fideles estis in Deo, qui suscitavit eum a mortuis, et dedit ei gloriam, ut fides vestra et spes esset in Deo : ²² animas vestras castificantes in obedientia caritatis, in fraternitatis amore, simplici ex corde invicem diligite attentius : ²³ renati non ex semine corruptibili, sed incorruptibili per verbum Dei vivi, et permanentis in æternum : ²⁴ quia omnis caro ut fœnum : et omnis gloria ejus tamquam flos fœni : exaruit fœnum, et flos ejus decidit. ²⁵ Verbum autem Domini manet in æternum : hoc est autem verbum, quod evangelizatum est in vos.

2 Deponentes igitur omnem malitiam, et omnem dolum, et simulationes, et invidias, et omnes detractiones, ² sicut modo geniti infantes, rationabile, sine dolo lac concupiscite : ut in eo crescatis in salutem : ³ si tamen gustastis quoniam dulcis est Dominus. ⁴ Ad quem accedentes lapidem vivum, ab hominibus quidem reprobatur, a Deo autem electum, et honorificatum : ⁵ et ipsi tamquam lapides vivi superædificamini, domus spiritualis, sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias, acceptabiles Deo per Jesum Christum.

⁶ Propter quod continet Scriptura : Ecce pono in Sion lapidem summum angularem, electum, pretiosum : et qui crediderit in eum, non confundetur. ⁷ Vobis igitur honor credentibus : non credentibus autem lapis, quem reprobaverunt ædificantes : hic factus est in caput anguli, ⁸ et lapis offensionis, et petra scandali, his qui offendunt verbo, nec credunt in quo et positi sunt. ⁹ Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis : ut virtutes annuntietis ejus qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum. ¹⁰ Qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei : qui non consecuti misericordiam, nunc autem misericordiam consecuti.

¹¹ Carissimi, obsecro vos tamquam advenas et peregrinos abstinere vos a carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam, ¹² conversationem vestram inter gentes habentes bonam : ut in eo quod detrectant de vobis tamquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes, glorificent Deum in die visitationis. ¹³ Subjecti igitur estote omni humanæ creaturæ propter Deum : sive regi quasi præcellenti : ¹⁴ sive ducibus tamquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum : ¹⁵ quia sic est voluntas Dei, ut beneficientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam : ¹⁶ quasi liberi, et non quasi velamen habentes malitiæ libertatem, sed sicut servi Dei. ¹⁷ Omnes honorate : fraternitatem diligite : Deum timeate : regem honorificate.

¹⁸ Servi, subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis et modestis, sed etiam dyscolis. ¹⁹ Hæc est enim gratia, si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias, patiens injuste. ²⁰ Quæ enim est gloria, si peccantes, et colaphizati suffertis ? sed si bene facientes patienter sustinetis, hæc est gratia apud Deum. ²¹ In hoc enim vocati estis : quia et Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum ut sequamini vestigia ejus : ²² qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus : ²³ qui cum malediceretur, non maledicebat : cum pateretur, non comminabatur : tradebat autem judicanti se injuste : ²⁴ qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum ; ut peccatis mortui, justitiæ vivamus : cujus livore sanati estis. ²⁵ Eratis enim sicut oves errantes, sed conversi estis nunc ad pastorem, et episcopum animarum vestrarum.

3 Similiter et mulieres subditæ sint viris suis : ut etsi qui non credunt verbo, per mulierem conversationem sine verbo lucrifiant : ² considerantes in timore castam conversationem vestram. ³ Quarum non sit extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus : ⁴ sed qui absconditus est cordis homo, in incorruptibilitate quieti, et modesti spiritus, qui est in conspectu Dei locuples. ⁵ Sic enim aliquando et sanctæ mulieres, sperantes in Deo, ornabant se, subjectæ propriis viris. ⁶ Sicut Sara obediebat Abrahæ, dominum eum vocans : cujus estis filiæ beneficientes, et non pertimentes ullam perturbationem. ⁷ Viri similiter cohabitantes secundum scientiam, quasi infirmiori vasculo muliebri impartientes honorem, tamquam et cohæredibus gratiæ vitæ : ut non impediatur orationes vestræ.

⁸ In fine autem omnes unanimes, compatientes fraternitatis amatores, misericordes, modesti, humiles : ⁹ non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, sed e contrario benedicentes : quia in hoc vocati estis, ut benedictionem hæreditate possideatis. ¹⁰ Qui enim vult vitam diligere, et dies videre bonos, coërceat linguam suam a malo, et labia ejus ne loquantur dolum. ¹¹ Declinet a malo, et faciat bonum : inquiret pacem, et sequatur eam : ¹² quia

oculi Domini super justos, et aures ejus in preces eorum : vultus autem Domini super facientes mala. ¹³ Et quis est qui vobis noceat, si boni æmulatores fueritis ? ¹⁴ Sed et si quid patimini propter justitiam, beati. Timorem autem eorum ne timueritis, et non conturbemini. ¹⁵ Dominum autem Christum sanctificate in cordibus vestris, parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quæ in vobis est, spe. ¹⁶ Sed cum modestia, et timore, conscientiam habentes bonam : ut in eo, quod detrahunt vobis, confundantur, qui calumniantur vestram bonam in Christo conversationem. ¹⁷ Melius est enim benefacientes (si voluntas Dei velit) pati, quam malefacientes.

¹⁸ Quia et Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, justus pro injustis, ut nos offerret Deo, mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu. ¹⁹ In quo et his, qui in carcere erant, spiritibus veniens prædicavit : ²⁰ qui increduli fuerant aliquando, quando exspectabant Dei patientiam in diebus Noë, cum fabricaretur arca : in qua pauci, id est octo animæ, salvæ factæ sunt per aquam. ²¹ Quod et vos nunc similis formæ salvos fecit baptisma : non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum per resurrectionem Jesu Christi. ²² Qui est in dextera Dei, deglutiens mortem ut vitæ æternæ hæredes efficeremur : profectus in cælum subjectis sibi angelis, et potestatibus, et virtutibus.

4 Christo igitur passo in carne, et vos eadem cogitatione armamini : quia qui passus est in carne, desiit a peccatis : ² ut jam non desiderii hominum, sed voluntati Dei, quod reliquum est in carne vivat temporis. ³ Sufficit enim præteritum tempus ad voluntatem gentium consummandam his qui ambulaverunt in luxuriis, desideriiis, vinolentiis, comessionibus, potationibus, et illicitis idolorum cultibus. ⁴ In quo admirantur non concurrentibus vobis in eadem luxuriæ confusionem, blasphemantes. ⁵ Qui reddent rationem ei qui paratus est judicare vivos et mortuos. ⁶ Propter hoc enim et mortuis evangelizatum est : ut judicentur quidem secundum homines in carne, vivant autem secundum Deum in spiritu.

⁷ Omnium autem finis appropinquavit. Estote itaque prudentes, et vigilate in orationibus. ⁸ Ante omnia autem, mutuam in vobismetipsis caritatem continuam habentes : quia caritas operit multitudinem peccatorum. ⁹ Hospitales invicem sine murmuratione. ¹⁰ Unusquisque, sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei. ¹¹ Si quis loquitur, quasi sermones Dei : si quis ministrat, tamquam ex virtute, quam administrat Deus : ut in omnibus honorificetur Deus per Jesum Christum : cui est gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

¹² Carissimi, nolite peregrinari in fervore, qui ad tentationem vobis fit, quasi novi aliquid vobis contingat : ¹³ sed communicantes Christi passionibus gaudete, ut et in revelatione gloriæ ejus gaudeatis exsultantes. ¹⁴ Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis : quoniam quod est honoris, gloriæ, et virtutis Dei, et qui est ejus Spiritus, super vos requiescit. ¹⁵ Nemo autem vestrum patiat ut homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor. ¹⁶ Si autem ut christianus, non erubescat : glorificet autem Deum in isto nomine : ¹⁷ quoniam tempus est ut incipiat judicium a domo Dei. Si autem primum a nobis, quis finis eorum, qui non credunt Dei Evangelio ? ¹⁸ et si justus vix salvabitur, impius et peccator ubi parebunt ? ¹⁹ Itaque et hi, qui patiuntur secundum voluntatem Dei, fideli Creatori commendent animas suas in benefactis.

PETRI I

5 Seniores ergo, qui in vobis sunt, obsecro, consenior et testis Christi passionum : qui et ejus, quæ in futuro revelanda est, gloriæ communicator : ² pascite qui in vobis est gregem Dei, providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum : neque turpis lucri gratia, sed voluntarie : ³ neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo. ⁴ Et cum apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcescibilem gloriæ coronam. ⁵ Similiter adolescentes subditi estote senioribus.

Omnes autem invicem humilitatem insinuate, quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. ⁶ Humiliamini igitur sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis : ⁷ omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis. ⁸ Sobrii estote, et vigilate : quia adversarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret : ⁹ cui resistite fortes in fide : scientes eandem passionem ei quæ in mundo est vestræ fraternitati fieri. ¹⁰ Deus autem omnis gratiæ, qui vocavit nos in æternam suam gloriam in Christo Jesu, modicum passos ipse perficiet, confirmabit, solidabitque. ¹¹ Ipsi gloria, et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

¹² Per Silvanum fidelem fratrem vobis, ut arbitror, breviter scripsi : obsecrans et contestans, hanc esse veram gratiam Dei, in qua statis. ¹³ Salutatur vos ecclesia quæ est in Babylone coëlecta, et Marcus filius meus. ¹⁴ Salute invicem in osculo sancto. Gratia vobis omnibus qui estis in Christo Jesu. Amen.